


Dissertatio Theologica, De Poenitentia

Francofurti ad Viadrum: Literis Christophori Zeitleri, [1708?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862902827>


Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.)



Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
POENITENTIA,

Quam
IN ALMA VIADRINA
AUSSPICIIS DEI T. O. M.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDER. WILHELMO,
REGNI PRUSSLÆ atq; ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.
PRÆSIDE

BARTHOLDO HOLTZFUS,
SS. THEOL. DOCT. & PROFESS. PUBL. ORDIN.

Præceptore ac Fautore suo æternum Colendo,
Ad D. 1X. Novembr. A. O. R. MDCC VIII.
IN AUDITORIO MAJORI
Publice ventilandam proponit

CAROLUS LUDOVICUS
REBSTOCK,
Berol. March. S.S. Theol. Stud. 19

FRANCOFURTI ad VIADRU M,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DISSELTATIO THEOLOGICA
DE
POTENTIA

IN ALMA VINDOBONA
AUSPICIIS DEI T. O. M.
RECTORIS MAGISTRIS
DECEMBER 1771
DOMINO
FRIDER. WILHELMO
RECTORIS MAGISTRIS
P. 1771


BARTHOLOM. DOHLE
DE THEOL. DOCT. & PROF. PUBL. ORDIN.
P. 1771
AL. D. IN NOVEMB. A. O. R. MDCCVII
IN AUDITORIO MAIORI
P. 1771
CAROLUS LUDOVICUS
P. 1771
P. 1771

FRANCOPOLIT. L. VINDOB.
P. 1771



DE POENITENTIA.

§. I.



Poenitentia Hebraicè dicitur השיבה à radice שוב reverti, Syr. ܠܝܬܝܢ. Verbum ܠܝܬܝܢ strictius est priori, quia tantum dolorem significat. Græcæ voces sunt μετάνοια & μεταμέλεια, de quibus observandum, priorem dici à μετ post, & νόεω intelligo, quasi post intelligo, sc. post rem factam, quasi post sapio; posteriorem vero à μετ post, & μέλωμαι curo, & μέλει curæ est.

§. II. Theod. Beza in Matth. 3, 2. inter μετάνοειν & μεταμέλειν hoc discrimen ponit, quod μετάνοειν significet, post factum sapere, ac de errore admissio ita dolere, ut corrigas, idq; Latinis significare, *Respicere*, neque unquam proprie poni, nisi in bono; μεταμέλειν vero significare, post rem aliquam factam sollicitum & anxium esse; quod Latinis sit *Pœnitere*, idque etiam usurpari posse in vitio. Verum licet verbum μεταμέλειν nonnunquam solum dolorem, tristitiam ac displicentiam indicet, ut ex Judæ Ischarioth Historia Matth. 27, 3. patet; non desunt tamen loca, ubi in bonam partem accipitur, v. g. Matth. 21. v. 29. *Ille respondens ait: nolo; Postea autem pœnitentia*

(4.)

zia motus abiit. Et v. 32. *Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis* (ὃ μετμελήθητε) *postea, ut crederetis ei.* adde 2 Cor. 7, 8. Hebr. 7, 21. imò è contrario μετάνοια nonnunquam merum dolorem s. displicentiam indicat, e. gr. Luc. 17, 3. ubi de qualicunq; offensæ contra proximum admissæ pœnitentia dicitur: *Εάν μετανοήσῃ.* & v. 4. μετανοῶ *Pœnitet me.* & Matth. 12, 41. Ninivitæ ad prædicationem Jonæ pœnitentiam (μετάνοιαν) egisse leguntur; quæ pœnitentia tamen externa, civilis ac temporaria tantum fuit. conf. Hebr. 12, 17. Prov. 14, 15. hinc & Græci Patres Chrysostomus, & Epiphanius, his vocibus promiscue utuntur. Tertia vox græca ἐπιστροφή *Conversio*, est ex ἀντιὰδ, super, & στρέφω verto.

§. III. Latinæ voces sunt: *Pœnitentia*, *Resipiscencia*, *Conversio* intransitive s. subjective accepta. *Pœnitentia* dubio procul descendit à *pœnitet*: quod est à *pœna* & *punio*, antique *pœnio*, quia is, quem pœnitet, dolendo a se quasi pœnam exigit suæ temeritatis; hinc secundum *Isidorum* Hispal. Exhortat. ad Pœnit: Pœnitentia dicitur quasi *punitentia*, quia homo punit pœnitendo, quod male admisit. *Erasmus* quidem vult, Pœnitentiam dici quasi pone tenentiam: ponenda nimirum tenentia peccati, & postea tenenda sententia alia. Sed usitatio est derivatio prior. *Resipiscencia* dicitur à *re* & *sapio*, quia à stultitia resipiunt, qui resipiscunt, ad frugem redeunt, ac vitia virtutibus emendant. Tertulliano l. de pœnit. Ambrosi. lib. ad virginem lapsam C. 8. Hieron. Ep. 8. & 47. it. Comm. in Jes. 3. dicitur *secunda post naufragium tabula*. Damasceno lib. 2. de Orthod. Fid. C. 30. ἐκ τῆς διαβολῆς πρὸς τὸν θεὸν ἐπαύδοις.

§. IV.

(5.)

§. IV. Conversio seu Pœnitentia hominibus tributa, accipitur (1) vel *active* s. *intransitive* pro officio & actu hominum. (2) vel pro *externis signis* e. g. lachrymis, Jejuniis, humicubatione, cilicio &c. 2 Paral. XXXIII, 12. Matth. XI, 21. Joh. 3, 7. 8. vel (3) pro *interno motu* cordis, quem totius hominis immutatio in melius comitatur, ita hoc loco accipitur. Porro accipitur vel *ὀλικῶς* seu *complexè & totaliter*; vel *μερικῶς* s. *partialiter & inadæquate*. Totaliter s. complexè omnes actus notat, qui pertinent ad pœnitentiam, quales sunt Contritio, Dolor de peccato, Confessio, Fides, propositum mutationis vitæ; partialiter s. strictius & inadæquate, fidei contradistincta, solum dolorem. Totaliter accipitur Jerem. 18, 8. Ezech. 33, 11. Matth. 3, 4. c. 9, 13. Luc. 3, 3. c. 24, 47. Act. 3, 19. c. 5, 31. c. 17, 30. c. 26, 20.

§. V. Pœnitentia est actus peccatoris, per prædicationem Legis & Evangelii excitatus, quo homo agnoscens peccata, & dolens de peccatis, spe veniæ ad Christum tanquam gratiæ Thronum confugit, ad impetrandam Remissionem peccatorum; ac totam vitam suam in melius mutare proponit, & mutat.

§. VI. *Causa Efficiens Principalis* est Deus. 1 Reg. 18, 37. Jer. 31, 18. Act. 5, 31. Act. 11, 18. 2 Tim. 2, 25, 26. Appropriative *Spiritus S.* unde 2 Cor. 3, 8. verbi ministerium, *ministratio Spiritus* appellatur, & fideles 1 Cor. 6, 11. abluti, sanctificati & justificati in nomine D. N. J. C. in Spiritu Dei nostri, dicuntur. Principium est gratia Dei per verbum Evangelii indulta, qua homo vires ad resipiscendum accipit, quarum ope peccata sua agnoscit, de iis dolet, ea confitetur, ad Mediatorem confugit & vitam emendare proponit, ac revera emendat.

A 3

§. VII.

§. VII. *Causa media est Verbum Dei tam Legis quam Evangelii.* Lex hic partes suas habet, ratione Agnitionis peccati & Contritionis: ac præstat sequentia. (1) Officium homini proponit, Devt. 6, 5. c. 27. 26. (2.) peccatorem accusat, in eoque peccati agnitionem operatur, illiusque convincit. Rom. 3, 20. Rom. 7, 7. (3) Pœnam minatur, 2 Cor. 3, 6. (4) Conscientiam pungit & vexat, Act. 2, 37. (5) Imo hominem peccati convictum ad desperationem adigit; Gen. 4, 13. Matth. 27, 3. 2 Cor. 7, 10. hicq; Lex subsistit; unde patet, ex lege nullam esse pœnitentiam salutarem, nisi accedat Evangelium: Quod sequentia operatur (1) Mediatorem offert, Joh. 1, 29. 1 Tim. 1, 15. (2) medium docet, quo mediatoris compotes fieri possimus Marc. 1, 15. (3) salutem promittit illis, qui mediatorem vera fide recipiunt. (4) homines erigit & solatur, Joh. 3, 16. (5) atque sic fidem in homine gignit. Ad quorum effectuum productionem Deus ordinarie utitur *Ministris* Evangelii, 2 Cor. 5, 29. à quo ordinario agendi modo tamen Deus recessit in exemplo latronis conversi & Pauli fideles persequentis.

§. VIII. *MOTIVA*, quibus Deus in verbo suo ad producendam veram Resipiscentiam, utitur; sunt: (1) *Ira DEI* contra peccatores, Matth. 11, 20, 21. c. 23, 37. 38, Luc. 13, 3. 5. Rom. 2, 4. 5. (2) *Exempla Judiciorum* Dei contra impenitentes, v. g. diluvium, Eversio Sodomæ & Gomorrhæ, captivitas Babylonica, Excidium Hierosolym. &c. (3) *Beneficia* varia eum in finem proposita, ut homines incitentur ad pœnitentiam: eaque vel *præterita*, v. g. Creatio, Redemptio, Sanctificatio, quæ mature considerata peccatoribus in mentem revocant, qualem Deum offenderint: nim. benignum Patrem, Creatorem, Conservatorem

(7.)

rem, Redemptorem & Sanctificatorem ; vel futura
f. *comitantia*, qualia sunt, Remissio peccatorum, sta-
tus gratiæ & salus æterna. (4) *Præcepta & adhor-*
tationes ad pœnitentiam, Ez. 33, 11. Joel 2, 12. (5) *Pro-*
missa gratiæ resipiscantibus facta, Jes. 1, 16, 17, 18. E-
zech. 18, 27. C. 33, 11. (6) *Exempla* eorum qui actâ
Pœnitentiâ Misericordiam consecuti sunt: qualia sunt
Davidis, 2 Sam. 12, *Manassæ* 2 Paral. 33, 11. 12, 13. *Nini-*
uitarum Jon. 3, 10. *Petri*, Joh. 21, 15. 16. 17. *Pauli* 1.
Tim. 1, 15, *Publicani* Luc. 18, 14. *Filii prodigi* Luc. 15, 20.
Latronis in Cruce Luc. 23, 43. *mulieris peccatricis*, Luc. 7, 47.

§. IX. Causæ adjuvantes sunt nonnunquam,
afflictiones, morbi & castigationes, nostræ vel alio-
rum Ps. 119, 71. Jer. 31, 18. 19. Thren. 3, 20. 21. Joh. 4,
47. Hebr. 12, 6, 7.

§. X. *Subiectum Denominationis* f. *Quod*, non sunt
Angeli vel boni vel mali; Sed *homines* peccatores, adul-
ti: & quidem, ex seria Dei Voluntate, Omnes Act.
17, 30. nec tantum homines simpliciter spectati, sed
lapsi vocati, viribus gratiæ ad pœnitendum suffici-
entibus instructi, ac Fide, quoad assensum, donati;
unde evitabiliter peccant homines, pœnitentiam
peccatorum suorum omittentes.

§. XI. *Subiectum Quod* f. *inhæſionis*, remotum, est
Anima hominis; *proximum* vero est tam *Intellectus*,
quem illuminari, Verbo credere & peccatum agno-
ſcere oportet; quam *Voluntas*, quæ de peccato dolere,
corrigi, ad veram partem inflecti & ad Deum ac
Justitiam converti debet.

§. XII. *Objectum* Pœnitentiæ sunt omnia pecca-
ta, non solum gravia, sed & levia, comparate ſc. talia.
Pro discrimine tamen peccatorum Pœnitentia *Ord-*
naria f. *quotidiana*, vel *Extraordinaria* esse debet: Ex-
tra-

traordinaria enim s. mortalia peccata extraordinariam quoque Pœnitentiam requirunt. Præterita etiam peccata, in juventute vel alias dudum commissa oblivioni tradenda non sunt, Dev. 9, 7. 5. Ps. 25, 7. ut pote quorum recordatio utilis est ad humiliationem, Devt. 9, 6. ad gratum animum, erga Deum, 1 Tim. 1, 12, 13. & ad commiserationem ac lenitatem, erga alios peccatores, testandam Tit. 3, 2. 3.

§. XIII. *Materia ex qua* Pœnitentiæ proprie dicta non datur: Hæc enim in substantiis & quidem corporeis locum tantum habet. Nec proprie partes Pœnitentiæ competunt, propter eandem rationem; cum substantiæ corporeæ tantum partes essentielles & integrales habeant. Quia tamen *Motus* vel *Actus* Pœnitentiales à Theologis passim, analogicè, *Partes pœnitentiæ* dicuntur, nos quoque à stylo ordinario Theologorum non recedemus.

§. XIV. *Partes* Resipiscentiæ à variis varie recensentur. Pontificii tres statuunt: *Contritionem cordis, Confessionem oris, Satisfactionem operis*. Lutherani constituunt duas: *Contritionem, & Fidem*; quibus non tanquam partem, sed tanquam effectum addunt novam obedientiam.

§. XV. *Reformatorum* quidam constituunt duas Resipiscentiæ *Partes*: scil. *Mortificationem Veteris & Vivificationem Novi hominis*, quæ sententia est *Calvini* Instit. Lib. 3. c. 3. §. 3, 8. *Catech. Palat.* qu. 88. *Zach. Ursini* Explic. *Catech.* ad qu. 88. *Bucani* Loc. 30. qu. 16. & quorundam aliorum, quas *Partes* etiam proponit *Melanchthon* Apolog. Aug. Confess. p. m. 134. in *Repetit. Confess. Aug.* p. 275. it. *Exam. Ordinand.* p. 799. it. *Resp. ad Artic. Bavar.* p. 914.

§. XVI.

§. XVI. *Mortificatio* Veteris hominis, quæ hic admitti potest, est, animæ dolor & terror ex agnitione peccati & sensu iudicii Dei conceptus. *Vivificatio* est consolatio, quæ ex fide nascitur, ubi sc. homo peccati conscientia prostratus, ac Dei timore percussus, postea in Dei Bonitatem, Misericordiam, gratiam, salutem, quæ est per Christum, respiciens, sese erigit, respirat, animum colligit, & velut è morte in vitam redit, ut refert Calvin. Instit. l. 3. c. 3. §. 3. Hæcque *Mortificatio* fit per Legem, nihilque aliud est quam *Contritio* Scholasticorum; *Vivificatio* autem coincidit cum Fide. Ea vero *Mortificatio*, quæ infert totius carnis peccaminosæ interitum, eaque *Vivificatio*, quæ est imaginis divinæ plena in homine restauratio & pius pie vivendi affectus, de qua agit Calvinus c. l. §. 8. 9. *Pœnitentiam* non constituit; Sed constitutam sequitur, ac pertinet ad Sanctificationem, ad Fidei ac *Pœnitentiæ* fructus, ad *Pœnitentiæ* exercitium & continuationem.

§. XVII. Alii tamen tres, *Pœnitentiæ* partes constituunt, 1. *Contritionem* 2. *Fidem* 3. *Propositum* emendationis, quam postea, tanquam Effectus sequi debet emendatio vitæ actualis, Bucan. Loc. 30. qu. 5. Sohnius, Abr. Sculterus, &c. quibus nos assentimur.

§. XVIII. *Contritio* est primus *Pœnitentiæ* actus, quo homo peccator legis terrore percitus, iræque divinæ sensu tactus propter peccata per Legem agnita, ex Charitate in Deum offensum, gravissime dolet ac tristatur, eaque serio odit & detestatur. Paulus 2 Cor. 7. 10. distingvit λύπην καὶ θέναν λύπην τὴν κόσμους, ac docet: *Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur; Mundi autem tristitia mortem operatur.*

B

§. XIX.

§. XIX. *Contritio* (Hebraica voce נִשְׁבַּר Ps. 51, 19. Ps. 147, 3. Jes. 66, 2. *Confractio*, & Græca συντριμμενός & συντετριμμένος Rom. 3, 16. & Matth. 12, 20. expressa) dicitur a verbo *Contero*, quod significat res duras in minutissimas partes reducere: hinc, quia peccatum cor hominis durum reddit, actus ille, quo duritia ea tollitur, merito *Contritio* vocatur.

§. XX. Complectitur tria: 1. *Agnitionem* Peccati. 2. *Dolorem* de Peccato. 3. *Confessionem* Peccati, ut pote, quæ nihil aliud est, quam agnitio Peccati coram alio. np. Deo vel homine.

§. XXI. *Agnitio* Peccati ex Lege omnino necessaria est, Jer. 3, 13. *Agnosce iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.* Jes. 46, 8. *Mementote istud & confundamini; redite prævaricatores ad cor.* inde David Ps. 51, 5. *iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper.* Et Israelitæ Jer. 14, 20. *Cognovimus, Domine, impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi.*

§. XXII. Quia autem peccati notitia ex Lege est, Rom. 3, 20. & c. 7, 7. Inde non vulgaris notitia Legis divinæ scriptæ requiritur ab illis, qui pœnitentiam peccatorum agere volunt: Præterea requiritur exactum *Conscientiæ examen* ad normam Legis divinæ instituendum: Idque eo magis quia ipsi gentiles ductu luminis naturalis ejusmodi examen à suis exegerunt. Sic in Pythagoræ Carm. aur. præcipitur:

Non prius in dulcem declines lumina somnum

Quam ter totius repetiveris acta diei,

Quo prætergressus? quid factum in tempore? quid non?

Cur illi factæ decus abfuit, aut ratio illi? &c.

Sene-

Seneca Lib. 3. de ira c. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Idem ibidem suum exemplum proponit: Utor hac potestate & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & contuitur uxor, moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo; Quare enim quitquam ex erroribus meis timeam cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.*

§. XXIII. *Agnitionem Peccati sequi debet, Dolor de peccato, non ille mundi, sed secundum Deum ac proinde salutaris, 2 Cor. 7, 10, cuius necessitas elucet 1. ex præcepto divino, Joel 2. v. 12. 13. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & in fletu & in planctu & scindite corda vestra & non vestimenta vestra & convertimini ad Dominum Deum vestrum. it. Deut. 30, 1. 1 Reg, 8, 46. 2. ex promissione divina, Jes. 66, 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum Spiritu & trementem sermones meos? Quod & agnoscit David, Ps. 51, 19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. 3. ex Exemplis verè contritorum: Davidis, Ps. 6. integro: Domine ne in furore tuo arguas me &c. &c. Ps. 38, 3. 4. 5. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam, non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum. Quoniam ini-*

quitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me. adde v. 7. 9. II. 2 Sam. 12. 7. 13. 16. & seqq. c. 24. v. 10. Ninivitarum Jon. 3. 5. qui praedicaverunt Jejunium & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. Petri, Matth. 26. 75. qui flevit amare. Recens converforum primâ Pentecostes, Act. 2. 37. qui dictis Petri auditis compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite.

§. XXIV. Ad Contritionem requirunt Scholastici quidam, summam doloris intensiorem, quam homo præstare possit per totum conatum sibi possibilem, ut Adrianus VI. in 4. quæst. 2. de Pœnitent. Alii requirunt summam intensiorem, non quidem absolute, sed comparate, ita ut homo majore intensiōe doleat de peccato, quam de quolibet alio malo, & quam diligat quodlibet bonum creatum. Ut Petrus Soto lect. 14 & 15. de pœnitent: Alii, licet ad Contritionem non requirant summam intensiorem, requirunt tamen certum aliquem Gradum intensiōis, quem Deus norit, ut Scorus in 4. distinct. 14. quæst. 2. artic. 2 & Thomas in 4. distinct. 17. artic. 7. quæstiuncula 3. referente Becano Theol. Schol. Part. 3. Tract. 2. c. 35. Qv. 2. n. 2. 3.

§. XXV. Verum rectius alii negant requiri summam doloris intensiorem ex toto conatu voluntatis: 1. Quia scriptura hoc non exigit. 2. Quia nemo certo scire posset, an operetur ex toto conatu; si ergo id necesse esset, multi scrupuli orirentur, i. e. dubitandum semper esset, an summum doloris gradum attigissemus 3. quia nec in aliis Theologicis

cis virtutibus, fide, charitate, ac spe, intensio summa est necessaria 4. Quia inter vere pœnitentes alii magis, alii minùs dolent, ut patet ex Luc. 7, 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* vid. Becan c. l. n. 5. qui proinde requirunt summum contritionis dolorem *appretiative* i. e. peccatum perpetratum majoris debere æstimari, quam quodvis aliud damnum vel malum perpeßum, ac tantopere peccata detestanda esse, ut voluntas parata sit, potius quævis alia mala perpeti, omnibusque sibi charis privari, quam rursus mortaliter peccare. Vid. Joh. Fabricii System. Theol. Loc. 12. Aphor. 2. §. 3. p. m. 572.

§. XXVI. Nostra sententia est, in Contritione requiri tristitiam s. dolorem serium, sincerum ac summum & vehementissimum, intellective saltem, quoad displicentiam voluntatis, quamvis sensitive nonnunquam alii dolores magis appareant intensi. Ames. de Conscient. Lib. 2. c. 8. §. 7. eamque probamus 1. quia Scriptura vult *toto corde* dolendum. it. *Scindendum cor*, ut Joel. 2, 12. adde Devt. 30, 1. 1. Reg, 8, 46. quod præstitit Josias, qui *conversus est ad Dominum in omni corde suo & in tota anima sua & in universa virtute sua*, 2 Reg. 23, 25. quod item affirmatur de quibusdā Judæis Jer. 24, 7. & quia flere, plorare, plangere, lugere & corda scindere jubemur, Joel. 2, 12. 13. Matth. 5, 5. Luc. 6, 21. 25. Jac. 4, 9. (2.) Exemplis verè resipiscientium, v. g. Davidis, qui Ps. 6, de se ipso ait v. 3, 4. *conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè. v. 7. laboravi ingemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrimis meis stratum meum rigabo.*

(14.)

bo. conf. Pf. 32, 4. Pf. 38, 3, 4. 5. 7. 9, 11. Hiskia, qui
jes. 38, 3. flevit fletu magno. v. 14. *Sicut pullus hirun-
dinis sic clamabo, gemam ut columba.* Conf. 2 Reg. 20, 2.
Manassæ, 2 Paral. 33, 12, 13. Petri, qui agnito peccato *flevit
amare*, Matth. 26, 75 & eorum, qui audita ejus concione
compuncti sunt corde, Act. 2, 37. it. Publicani, qui pectus
suum percutiebat, Luc. 18, 13. (3) probamus ex vocibus
Scripturæ, Hebraica כַּשְׁמָה Græcâ συνέσπικαμένος, Lati-
nâ *Contritio*, quæ sanè maximum cordis dolorem in-
ferre nemo negabit. (4.) Quia vera & seria tan-
tùm contritio Deo grata est, Pf. 51, 19. *Sacrificium Deo
spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus
non despicies.* Esa. 66, 2. *ad quem respiciam nisi ad pau-
perem & contritum Spiritu. & tremementem sermones meos.*
Matth. 5, 5. *beati qui lugent* c. 11, 5. *Pauperes evangeli-
zantur* v. 29. *Venite ad me omnes, qui laboratis & one-
rati estis, & ego reficiam vos.*

XXVII. Scholastici distinguunt inter *Contritionem*
& *Attritionem*, dicuntque, hanc esse imperfectam, il-
lam verò perfectiorem; dissentiunt tamen ipsi inter
se, in quo illa imperfectio Attritionis consistat. Alii
eam posuerunt in minori intensiōe & brevi dura-
tione: Alii in partiali seu de aliquibus tantum pec-
catis dolore. Alii putant Contritionem differre
ab Attritione sola acceptatione divina; Alii, di-
stingvi per informationem gratiæ justificantis, quasi,
detestatio peccati, antequam conjuncta sit cum gra-
tia sanctificante, vocetur Attritio, cum ea vero con-
juncta vocetur Contritio, Concilium vero Tri-
dentinum sess. 14. C. 4. conclusit, Contritionem ab
attritione in eo differre, quod Contritio proficiatur
ex motivo Charitatis Dei; Attritio vero ex turpitu-
di-

dine peccati, vel ex Gehennæ & pœnarum æternarum metu.

XXVIII. Nos quidem non diffitemur, dolorem de peccato oriri posse ex metu pœnæ commeritæ, nec nisi vitæ emendatione evadendæ, à quo metu Joh. Baptista argumentum sumebat, homines ad pœnitentiam hortandi, Matth. 3. 10. *jam securis ad radicem arborum posita est; omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* & Christus Luc. 13. 3. *nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis.* Adeoque metum pœnæ veræ Resipiscentiæ initium esse, quod & ex Ninivitarum pœnitentia apparet, qui ex metu pœnæ instantis ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egerunt, Jon. 3. 6. Attamen ut dolor de peccato Deo gratus sit & remissionem peccatorum producat, oriri debet ex seria consideratione Dei optimi, maximi, & sanctissimi, Creatoris, Conservatoris, Redemptoris, ac Patris benignissimi, cujus offensio æternam inter Deum & peccatorem separationem producit, Jes. 59. 2. Ejusmodi dolor ex amore Dei vel, Stylo, Scholasticorum ex motivo Caritatis fluens, est salutaris, ac *secundum Deum; & Pœnitentiam in salutem stabilem operatur,* 2 Cor. 7. 10. & fructus Pœnitentiæ dignos efficit; cum è contrario dolor ex solo pœnæ metu ortus subito evanescat, nullosque fructus proferat, cujus exemplum habemus in Achabo, 1 Reg. 21. 17. seqq. Juda, Matth. 27. 5. & Pharaone Ex. 10. 17.

XXIX. Dolori de peccato juncta est *Confessio*, Græce *ἑξομολόγησις*, Hebr. *וְיָתִיר* utpote, quæ nihil aliud est quam agnitio peccati coram alio, np. Deo vel hominibus: Ea; rursus est vel *publica*, quæ fit coram in & cum Ecclesia; Lev. 16. 21. Jud. 10. 10. 1. Sam. 7. 6. Neh.

Neh. 9, 1. 2. Dan. 9, 4. seq. vel *privata*, quæ fit vel Deo Num. 5, 7. Efr. 10, 11. Neh. 1, 6. Luc. 18, 13. Pf. 32, 5. Pf. 51, 6. 1 Joh. 1, 9. vel *Ministro* 2. Sam. 12, 13. vel membro cuidam Ecclesiæ privatim. Jac. 5, 16. Luc. 17, 4. Utraque est vel *generalis* vel *specialis*: illa, qua poenitentes se contra universam Dei Legem peccasse confitentur; *Hæc*, qua resipiscens certum aliquod vel grave vel leve peccatum Deo, vel ministro vel alii fidei detegit ejusque consilium & solatium implorat.

XXX. Confessionis Necesitatem probant 1. dicta Scripturæ: Prov. 28, 13. *Qui abscondit scelera sua, non prosperabitur; qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* 1. Joh. 1, 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra & mundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum & verbū ejus non est in nobis.* Conf. Lev. 16, 21. Num. 5, 7. Esd. 10, 11. 2. exempla, Davidis Pf. 32, 5. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino & tu remisisti impietatem peccati mei.* Pf. 38, 4. 5. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum: quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Pf. 51, 6. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea.* 2. Sam. 12, 13. *Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino.* c. 24, 10. *Dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.* Manassæ, 2 Paral. 33, 12. 18. Populi Israelitici, Jud. 10, 10. 1 Sam 7, 6. Judæorum Captivorum, Dan. 9, 4. 5. 6. 7.

5. 6. 7. Neh. 1, 6. c. 9, 1. 2. Filii Prodigii Luc. 15, 21. Publicani Luc. 18, 13. Auditorum Joh. Baptistæ Matth. 3, 6. Marc. 1, 5. Auditorum Petri Act. 2, 37. 38.

XXXI. In Confessione Privata Verbi ministro facta, non solum generalis peccatorum, sed & Specialis, hujus vel illius, gravioris s. enormis peccati detectio utilis est, ut Pœnitentes de gravitate peccati informati, ad justam ejus æstimationem incitati & moniti, propter illud correpti, atque in posterum peccata vitare & vitam emendare jussi, tandem promissionem Remissionis Divinæ consequantur, exemplo Davidis, 2 Sam. 12, 13. c. 24, 10. & licet quovis tempore Pœnitentes ejusmodi Confessionem coram Pastore suo edere possint, maxime tamen convenit tempori, quo se ad S. Cœnæ usum præparant, quia tunc se ipsos probare jubentur, ut digne Cœna Domini utantur, 1 Cor. 11, 28. 29. Vid. Calvin. Instit. l. 3. c. 4. §. 12. 13. Bucan. Loc. 30. qu. 22. Leideneses Synops. Pur. Theol. Disp. 32. th. 46.

XXXII. Nec tamen omnia & singula peccata cum omnibus circumstantiis enumerari necesse est, quod requirunt Pontificii in Confessione Auriculari ex instituto Innocentii III. in Concil. Lateran. Cap. 21. ap. Caranz. p. 606. & Concil. Trid. Sess. 14. C. 5. Can. 7. 8. Bellarm. de Pœnit. l. 3. c. 2. & c. 9. Nam 1. Confessio talis caret mandato & Promissione DEI. Sine quibus tamen in re tam ardua nihil constitutum erat. (2) Caret exemplo; imo non desunt exempla contraria eorum qui peccata sua generaliter confessi sunt, ac Remissionem eorum obtinuerunt sine speciali ac secreta omnium peccatorum cum omnibus circumstantiis aggravantibus enumeratione

C

ne

ne, ut Matt. 9, 2. c. 3, 6. Luc. 7, 47. 48. Act. 2, 37. 38. (3) Quia requirit conditionem impossibilem. Ps. 19, 12. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* non diffidente Bellarm. de Pœnit. l. 3. c. 12. p. m. 1164. & Becano Præloq. ad Man. Controv. §. 19. (4) quia est Carnificina Conscientiarum: fatente Caslandro ad Art. 11. Aug. Conf. *Si Confessio intelligatur de nimis anxia inquisitione omnium Circumstantiarum, quæ in multis Conscientiæ Carnificinam gignit, hanc nemo moderatus approbat. Verum si &c.* (5) Quia pudori, verecundiæ ac honestati adversa est, ut patet ex Casuistarum libris quibus obscenæ quaestiones proponuntur. (6) Quia Rebusp. Regibus & Principibus perniciofa est accedente inprimis Sigillo Confessionis. (7) Quia est instrumentum stabiliendi dominatus Pontificii, quo de vide Dallæi Epist. Dedicat. Tractatui de Auriculari Confess. præmissam. (8) in antiquis Conciliis & Patribus nullum talis Confessionis vestigium extat. quod fassi sunt Erasmus Annot. ad Epist. Hieron. ad Oceanum. Polyd. Vergil. de Inventor. rer. l. 6. c. 1. Beat. Rhenanus Præfat. in lib. Tertull. de Pœnit. it. Rigaltius de quibus vide Dall. de Sacram. Confess. l. 4. c. 39. quin Nectarius Constantino- politanæ Ecclesiæ Episcopus propter Diaconum, qui prætextu Confessionis privatæ Matronam compres- serat, Confessionem Auricularem sustulit. Cujus sen- tentiam Chrysostomus Nectarii succesfor approbavit. Claudius hanc thesin verbis Caslandri ad Art. 11. A. C. *Credo de hac re Controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta & contami- nata fuisset, quibus Conscientiis, quas extricare & levare de- bebant, laqueos injecerunt & tanquam tormentis quibus- dam excarnificarunt.*

XXXIII. Secunda Resipiscentiæ Pars est *Fides*, non quat. significat Assensum Notitia rerum Credendarum nixum & Deo in Verbo suo loquenti adhibitum: hoc enim sensu Fides ordine præcedit Resipiscentiæ, hancq; producit, cum nemo serio Pœnitentiâ peccatorû agere possit, nisi credat vera esse, quæ Deus resipiscientibus promittit & impœnitentibus minatur; quod recte monuerunt. Calvinus Inst. l. 3. c. 3. §. 1. 2. 3. & Beza Vol. 1. Absterf. Cal. Hesh. it. Bellarm. de Pœnit. lib. 1. c. 19. Sed quat. significat fiduciam, qua agnitione peccatorum, indeque miseriæ nostræ intimo sensu ducti, impotentiaque ex miserrimo, in quo peccatum nos collocavit, statu emergendi, nobis conscii, ex nobis ipsis egredimur & ad Deum propter Christum Gratiæ thronum, spe obtinendæ Remissionis peccatorum confugimus; quam huc pertinere probamus (1) ex Marc. 1, 15. *Pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Act. 20, 21. *Paulus testificabatur Judæis & Græcis Pœnitentiam in Deum & Fidem in D. N. J. C.* (2) quia Christus a Contritis Fidem requirit hacque eos solatur, Matth. 9, 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* v. 22. *Confide, filiæ, fides tua te salvam fecit,* quod confirmat Paulus, quoties fide nos justificari docet, ut Rom. 3, 24. 25. 26. 28. c. 4, 5. c. 5, 1. (3) quia Pœnitentia sine fide non esset *ἐκ πίστεως*, Act. 11, 18. nec salutaris ac secundum Deum, sed Pœnitentia Mundi esset 2 Cor. 7, 9. 10. Caini & Judæ Pœnitentiæ non absimilis, Gen. 4, 13. Matth. 27, 5. (4) quia contra desperationem, in Dolore de Peccatis, Promissiones divinæ, mihi, Tibi, illi, applicandæ veniunt, quod sine Fide fieri non potest, 1 Tim. 1, 16. *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet J. C. omnem patientiam ad informationem aliorum creditorum.* Gal. 2, 20. Joh. 20, 28. Job. 19, 25. Cant. 2, 16. Conf. Diss. de Fide C. 1. §. 8. xxxiv.

XXXIV. Tertia Resipiscentiæ Pars est *Propositum emendandi vitam*, quo pœnitens perspecta peccati malignitate, ex sensu iræ Dei contra peccatum & odio contra illud, peccatum detestatur, idque in posterum cane pejus & angve fugere & vitam in melius mutare constituit. Hanc exigit Deus Jer. 7, 3. *bonas facite vias vestras & studia vestra & habitabo vobiscum in loco isto.* v. 5. *Quoniam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra habitabo vobiscum in loco isto.* it. c. 18, 11. *revertatur unusquisque à via sua mala & bonas efficit vias vestras & studia vestra.* Joh. Bapt. Matth. 3, 8. *Facite fructum dignum pœnitentia.* Et Christus Joh. 5, 14. *ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* David promittit Ps. 51, 15. *Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.* Jes. 38, 15. Ps. 119, 106. *juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* & Israelitæ Hof. 14, 4. *Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dei nostri opera manuum nostrarum:* Hoc autem Propositum emendandi vitam non inefficax & sterile, sed efficax esse debet, ita ut actualis emendatio vitæ illud sequatur & homo pœnitens ipso opere id exequatur, totam vitam suam immutet, veterem hominem exuat, & nova Creatura fiat. Matth. 7, 21. Jac. 1, 22. 25. Apoc. 22, 14 Eph. 4, 22. 23. 24. Gal. 6, 15, 2 Cor. 5, 17.

XXXV. Quod vero Satisfactionem, tertiam Pontificiorum Pœnitentiæ partem spectat, dubitandum non est, restitutionem famæ, honoris, bonorum &c. proximo, in certis casibus, faciendam esse, cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum; Ecclesiæ quoq; propt. scādālū satis fieri debere; illa tn. Satisfactio non est compensatio ad veniam apud Deū promerendam, licet hoc & Judæi velint, quia alias, quod solius Chri-

Christi est, transferretur in homines. Jes. 53, 5. 1 Tim. 2, 9. Jer. 31, 34. Jes. 44, 22. Ps. 32, 2. Sed erat olim (1.) testificatio seriae veræ ac sinceræ erga Deum tristitiæ super peccato graviore commisso. (2.) erat declaratio intimi doloris Ecclesiæ facta, propter scandalum Ecclesiæ datum. (3.) ut alii, visis pœnitentium lachrimis planctu, sacco, ciliciis, prostrationibus, gravitatis peccati admonerentur & à peccatis detererentur. (4.) Ut ipsi lapsi hac disciplina ad veram peccati æstimationem, ad serium de peccatis dolorem, ad timorem iræ Dei, ad fidem, misericordiam Dei propter Christum implorantem, & ad sincerum emendationis propositum incitarentur. (5.) Ut ecclesia aliis fidem faceret, se non docere libertatem seu impunitatem peccandi, vid. Chemnit. Exam. Concil. Trid. ad Sess. 14. c. 8.

XXXVI. Satisfactio hæc Canonica, in veteri Ecclesia absoluebatur quatuor gradibus, quorum primus vocabatur *πρόκλαυσις* vel *πρόσκληυσις* *prosflectio* seu *adflectio*, Lugentium, ἐξω τῆς πύλης, extra porticum seu Narthecen in ipso templi aditu, vel in area sub dio (unde *χειμαζόμενοι* hyemantes seu hibernantes dicti) ubi ἀφωρισμένοι, ejecti, exauctorati ac separati non solum à fidelibus, sed & à Catechumenis, in squalore, pædore, ac luctu, nec precum participes & quasi candidati pœnitentiæ, ad annum unum, nonnunquam biennium, triennium, quin & ad dies vitæ, quales incestuosi, consistebant. II. ἀκρόασις i. e. *auditio* intra vestibulum in Narthece, & quasi sub ferula, cum Catechumenis, energumenis, ac, sub Imperatoribus Christianis, Judæis etiam & paganis, ad alios duos vel tres annos, pro diversitate delictorum stabant (hinc *στάσις* *statio*) & verbum Dei, quod in Ec-

clesia legebatur, audiebant, *μη ἀξιόμενοι ἴης προσευχῆς* ad preces tamen non admisit. III. *ὑπόπλισις*, non *contemplatio* rerum cœlestium, ut reddidit Bellarminus, sed *prostratio, dejectio, humiliatio*, s. *γονυκλισία*, quæ erat interior admissio εἰς τὸν ναόν, intra septa, *ὅπισθεν τῆς εὐχῆς*, post fideles, ubi, certarum precum Ecclesiæ, non tamen S. Cœnæ participes, tres alios annos nonnunquam septem, ut in casibus adulterii vel homicidii, stabant (unde & hæc *τάσις* & quidem tertia dicta fuit) & cum Catechumenis exeuntibus ipsi quoque exhibant. IV. *Σύστασις* *Statio* inter fideles, ubi pœnitentes pari ordine cum fidelibus, ad omnes preces admittebantur, sola Evcharistiæ participatione fidelibus inferiores, quæ *κοινωνία χωρὶς προσφοράς*, *Communio sine oblatione*; & *κοινωνία τῆς εὐχῆς*, non τῶν ἀγιασμάτων, dicta: nec tamen cum Catechumenis amplius exhibant; in eoque statu duos persæpe annos agebant. Hanc demum excipiebat illa tam diu expectata & expetita *μέθεξις* s. *τελείωσις*, ordinarie hebdomade ante-paschali, prævia absolutione, pacis datione, præviisq; ritibus orationum & manuum impositione, indulta.

XXXVII. Tametsi vero rigorem illum sequentibus temporibus non immerito mitigatum esse censeamus; merito tamen cum multis Theologis aliisque viris piis dolemus, omnem ferè delictorum gravium pœnitentiam publicam in Ecclesiis Evangelicis plerisque, omisam esse, claviumque alterâ, ligante scilicet, propemodum amissâ, solam solventem retineri, veteri Adamo dulce venenum sine antidoto. Qua de re, præter pios Theologos, conqueritur etiam Joh. Brunnemannus, Jctus religiosiss. Jur. Eccles. Lib. 2. C. 19. §. 24. *Expedi visset, publicam pœnitenti-*

am retinere ad exemplum veteris Ecclesiæ purioris. & expediret eam heu! collapsam restituere, pœnitentia ista quæ confitit in deprecatione, quæ sit per pastorem, fere est palliativa, & pœnæ rationem vix habet. Sed amissimus una cum clave ligante etiam pœnitentiam publicam in Catholica pura Ecclesia semper usurpatam.

XXXVII. Forma pœnitentiæ consistit in aversione à malo & Conversione ad bonum seu in aversione à peccato, mundo & creaturis; & Conversione ad justitiam, Cœlum & Deum s. Creatorem.

XXXVIII. Terminus à quo, est Regnum Diaboli, 2 Tim. 2, 26. manus inimicorum nostrorum Luc. 1, 74. Tenebræ & umbra mortis Luc. 1, 79. Joh. 3, 19. Eph. 5, 8. Opera tenebrarum Rom. 13, 12. via peccatorum & cogitationes malæ Jes. 55, 7. malum Ps. 37, 27. Rom. 12, 9. Terminus ad quem, Deus: Jes. 55, 7. Joel. 2, 12. 13. Act. 14, 15. c. 26, 18, 20. Lux Act. 26, 18. Eph. 5, 8. Bonum Ps. 37, 27. Rom. 12, 9. Via pacis Luc. 1, 79.

XXXIX. Finis respectu DEI, Pœnitentiam exigentis, est gloria Bonitatis, Sapientiæ, & Justitiæ DEI; respectu hominis (1) Peccatorum Remissio, Ps. 32, 5. Act. 26, 18. (2) ingratiam Dei receptio Act. 11, 38. (3) immunitas à pœnis temporalibus & æternis. Rom. 8, 1. Jerem. 18, 8. Jon. 3, 10. (4.) Salus æterna, Rom. 4, 7, 8.

XL. Effectus immediatus est Conversio Dei ad nos Zach. 1, 3. Jer. 8, 4. Convertimini ad me & convertar ad vos. it. Joel. 2, 14. Justificatio coram Deo, vel Remissio peccatorum, quam proinde pœnitentia, ut Conditio antecedanea, præcedere debet, Esa. 1, 16, 17; 18. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse, discite bene facere & venite, dicit Dominus: Si fuerint pecca-

peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Luc. XXIV. 47. Oportet prædicari in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum. Act. 2, 38. Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. C. 3, 19. pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur peccata vestra. c. 8, 22. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, 1 Joh. 1, 19. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & justus, ut remittat nobis peccata nostra & mundet nos ab omni iniquitate. adde Ez. 18, 21. 22. 23. 30. 31. 32. c. 33, 11. 14. 15. 16. Ps. 51, 3. 11. Marc. 1, 4.

XLI. Effectus mediatus est, Adoptio, unio mystica fideiū cum Deo, Sanctificatio, & exauditio precum.

XLII. Adjuncta sunt I. *Necessitas*, Matt. 18, 3. Luc. 13, 3. Ezech. 33, 11. 12. 1 Joh. 1, 9. Rom. 2, 5. II. *Præstantia*, quæ exinde elucet, quod Deus eam in medium internum salutis ordinaverit. Joel. 2, 12. 13. Matth. 3, 2. Marc. 1, 15. Eamq; Judæi adeo extollunt, ut mundo condito eam vetustiore faciant, Tract. Thalm. Pesach. & Nedarim ubi ita: *Septem res creatæ sunt prius, quam mundus conderetur, nempe hæ: Lex, Pœnitentia, Hortus Eden, Gehenna, solium Gloriæ, Domus sanctuarii, & Nomen Messie.* Non quasi pœnitentia ante mundi Creationem revera extiterit, sed quia in decreto divino fuerit, quô ordinatum fuerit, ut post peccatum admissum, maximè debuerit exerceri in mundo: Hancque volunt, non solum tollere pœnas divinas, sed esse quoque fundamentum & columnam mundi, propter quam mundus consistat. Bene item morituris & post decessum coram tribunali Judicii divini substitutis, suadent, ut sibi de Advocatis magnis pro-

prospiciant, quorum patrocinio liberentur, quales Advocatos esse censent, Pœnitentiam & Opera bona. cont. Buxt. Lexic. Thalm. ad Vocem גורר.

XLIII. III. *Signa*, quibus pœnitentia indicatur, qualia sunt, 1. *Lachrimæ*. Joel 2, 12. Judic. 20, 26. Luc. 7, 38. Matth. 26, 75. Jac. 4, 9. 2. *Plæctus*. Joel. 1, 5, 13. c. 2, 12. Jer. 4, 8. 3. *Humicubatio*. Job, 2, 12, 13. Thren. 2, 10. Dan. 9, 18. 4. *Saccus vel Cilicium* Pf. 35, 13. Pf. 69, 12. 1 Reg. 21, 27. 2 Reg. 19, 1. Jon. 3, 6, 8. Matth. 11, 21. 5. *Jeiunium* Joel. 2, 12, 13. Judic. 20, 26. 2 Sam. 12, 16. 2 Paral. 20, 3. Esd. 8, 21. Jon. 3, 5. Quæ, quo pacto in primitiva Ecclesia Christiana in usu fuerint, describit Tertullianus Lib. de pœnit. *Exomologesis est, qua delictum domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentiâ Deus mitigatur, itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens Misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare: Cæterum, pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: Plerumque verò Jejunii preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad dominum Deum tuum, presbyteris advolvi & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur & temporali afflictatione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Conf. ejusd. lib. de pudicitia C. 13. Eusebius Lib. 5. Histor. Eccles. C. 28. Natalis*

cujusdam à Theodoti Coriarii hæresi resipiscensis
Pœnitentiam ita describens: *Mane, inquit, confurgens,
cilicio se induit, & cinere conspergit ac multis lachrimis er-
rorem suum deflens, ante pedes Zephyrini Episcopi se pro-
sternit, & vestigiis omnium, non modo Clericorum, sed eti-
am Laicorum, multa cum lamentatione provolutus in lachry-
mas & miserationes omnem provocavit Ecclesiam. Conf.*
Ambrosium Lib. 2. de pœnit. c. 10.

§. XLIV. IV. *Tempus* agendæ pœnitentiæ sunt
dies hujus vitæ. Quod autem ad speciale tempus
attinet, Judæi, ex hypothesi, quod Deus tempore
novi anni judæici, *יום הכיפורים* rationem vitæ, anno
præterito actæ, exigat, volunt mense *אלול* Festum
Novi Anni antecedente peccata per totum annum
perpetrata expendenda eorumque pœnitentiam a-
gendam esse. Quare vel integro mense, vel quatri-
duo, ante novum annum suas *תפילות* i. e. preces
pro peccatorum remissione ante lucem recitare so-
lent. Vid. Buxtorff Synag. Jud. c. 23. inprimis vero
credunt *יום כיפור* *Diem Expiationis* cum antece-
dentibus novem pœnitentiæ diebus omnia peccata
commissa expiare, hominemque Deo reconciliare.
Nos quidem non negamus, tempore Novi anni, pas-
sionis Christi, aliisque solennioribus Festorum tem-
poribus vitæ nostræ rationes ad calculum revocan-
das esse; Interim tamen pœnitentiam omnibus vi-
tæ nostræ diebus agendam esse, existimamus.

§. XLV. *Pœnitentia* vero non procrastinanda,
sed maturanda est, 1. propter mandatum divinum
Pf. 95, 8. Heb. 3, 7.8. *Hodie si vocem ejus audiveritis,
nolite obdurare corda vestra, sicut in Meribab, sicut in
Massah in deserto.* 2. quia Christianissimus est, vel debet
esse

esse, praxis totius vitæ nostræ, Luc. 1, 74. 75. ut liberati de manu inimicorum nostrorum, sine timore serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Tit. 2, 4. 5. 3. quia dilatio pœnitentiæ, non solum numerum peccatorum, ac duritiem cordis, ex consuetudine peccandi, Jer. 13, 23. sed & reatum atque iram Dei auget, Ps. 75, 10. 11. indeque Resipiscentiam difficiliorem reddit, Jer. 13, 23. cum habitus inveterati, quique profundas in cordibus hominum radices egerunt, & velut in naturam conversi sunt, difficillime exuantur, ut clavus parieti infixus, firmiter hæret ac difficulter extrahitur. 4. quia duratio vitæ nostræ incerta est, Jac. 4, 13. 14. Luc. 12, 20. quo sensu R. Elieser dixit in Pirke Aboth c. 2. §. 10. שוב יום אחד לפני מותך *Resipisce die uno ante mortem tuam.* 5. quia dilatio de die in diem, non potest consistere cum serio proposito resipiscendi 1 Pet. 4, 3. 6. quia, Pœnitentia sera, raro vera. Latro in cruce vere resipuit, suamque resipiscentiam actibus bonis internis & externis testatus est; cujus exemplo an usuri, veniamque peccatorum toties repetitorum consecuturi sint securi Procrastinatores, non constat. 7. quia verendum est, ne Deus Gratiam suam, multoties spretam ac repulsam, tandem auferat, eamque in posterum juste neget. Ps. 95, 11. Heb. 4, 3. Prov. 1, 24. seq. Matth. 25, 28. Heb. 12, 17. Apoc. 2, 5. 8. quia Pœnitentiæ procrastinatio est stolidi: nam procrastinatores perinde faciunt, ac si quis incendii Domus suæ extinctionem differat: vel venenum ex corpore non statim expellat, vel vulneris periculosi curationem non acceleret.

§. XLVI. Opposita Pœnitentiæ sunt 1. Pœnitent-

D 2

ten-

ſentia hypocritica, qualis fuit Pharaonis Exod. 8. c. 10, 16. qui infligitis ſibi plagis nonnunquam Pœnitentiam ſimulabat, ſed veram nunquam agebat. *Saulis* 1 Sam. 15, 24. *Jeroboami*, 1 Reg. 13, 6. *Achabi*, 1 Reg. 21, 27. qui denunciata ſibi per Eliam, propter occiſum Nabothum pœnâ territus, pœnitentiam egit; pœna autem dilata, ad ingenium rediit. *Judeorum*, Jer. 3, 10. *Judæ proditoris* Matth. 27, 3. 4. *Simonis Magi*. Act. 8, 24. *Phariſæorum* Matth. 15, 7. 8. Luc. 16, 15. 2. *Impœnitentia*. Quando homines de peccatis non dolent, nec vitam corrigere, animum inducunt; eſtque vel *temporaria*, quando homines ad tempus ſecuri in peccatis perſeuerant, tandem vero excitantur & convertuntur ut Rex Manaffes. 2 Paralip. 33, 9, 10, 11, 12, 13. Qui poſtquam in Idololatria per certum tempus permanſiſſet, populumque ad idem peccatum ſeduxiſſet, tandem à Domino caſtigatus, egit Pœnitentiam. Vel eſt *finalis*, in quâ homines ad mortem perſeuerant. His Deus exitium minatus eſt. Eph. 5. 6. Rom. 2, 5.

§. XLVII. Cauſæ impœnitentiæ ſunt, 1. *Atheiſmus*, *Epicureiſmus*, quando Deus, vel Providentia, vel pœnæ infligendæ, negantur. 2. *Spes Impunitatis*, qua ſibi perſuadent, peccata tanti momenti non eſſe. Gen. 3, 4, 5. quibus opponendum Eph. 5, 6. 3. *Abuſus Exemplorum* Davidis, Salomonis, Petri &c. quæ ſibi multi impœnitentes proponunt, verum peccant cum illis, non vero cum iisdem reſipiſcunt. Illi admoniri ſemel reſipuerunt, neque amplius in illa peccata reciderunt, ſed reliquum vitæ in ſanctitate peregerunt. 4. *Perſuaſio de ampliffima Dei miſericordia*. Cum tamen ea quidem omnibus offeratur, *Credentibus*

tibus vero, Resipiscentibus & Deum timentibus tantum conferatur & applicetur Pf. 103, 13, 17. 18. Pf. 130, 4. Ez. 33. 11. 12. Tit. 2, 11. 12. 2Pet. 3. 9. 2Cor. 5, 15. Heb. 5, 9. Pf. 5, 6, 7. 5. *Desperatio veniæ* cujus Exemplum habemus in Caino, Gen. 4, 13. & in Juda Proditore Matth. 27, 4. 5. 6. *Inveterata peccandi consuetudo*: Habitus enim difficulter, nec nisi speciali gratia tolluntur Jer. 13, 23. Cujusmodi tamen peccatoribus, non vulgaribus, sed habitu peccandi aliquandiu constrixis, Christus Luc. 15, Parabola, de ove perdita, drachma amissa, & filio prodigo, resipiscente ac recepto, si sincere resipiscant, spem veniæ facit.

§. XLVIII. Ad Opposita doctrinæ de Resipiscentia, merito etiam referimus. *Novatianismum* ita dictum, à *Novato Carthaginensi*, & *Novatiano Romano Presbytero*, qui occasione veniæ lapsis ad intercessionem Martyrum & confessorum, qui in acie steterant ac pro Desertoribus orabant, liberalius indulgæ, & occasione nimix, ut causabantur, facilitatis Cornelii Episcopi Rom. in lapsis recipiendis, Schisma fecerunt, ac docuerunt; *ὅτι τὸ λῆτρον μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι πεπρωκότα*, post Baptismi lavacrum lapsos, non posse amplius Misericordiam consequi, *ἐαυτοὺς φήσαντες καθαρὰς* seipsos puros dicebant, neque cum lapsis pœnitentibus quidquam commercii habere volebant; unde *Cathari*, i. e. puritani vel puri appellati sunt; ut refert Epiphan. Hæres. 59. A quo Catharorum nomine posterioribus Temporibus omnes Hæretici germanicè *Räßer* dicti purantur. Novatiani propter negatam relapsis Pœnitentiam non solum desertores Ecclesiæ, sed & Misericordiæ hostes, Interfectores Pœ-

nitentiæ, Doctores Superbiæ, Veritatis Corruptores, perditores Charitatis à Catholicis vocati sunt, eorumque errorem non modo Constantinus Imperator, inter alia etiam Acesium lapsis veniam pertinaciter denegantem, compellendo: *Erigito igitur tibi scalas, Asefi, & ad Cælum solus ascendito*; Sed & Doctores Ecclesiæ, Cyprianus Carthagenensis, Cornelius Romanus, Dionysius Alexandrinus, Firmilianus Cappadociæ, Helenus Tarsensium, Theodistus Cæsareæ, Episcopi, & alii, habitis Synodis Nicææ, Carthagine, Romæ, Antiochiæ, damnarunt.


§. XLIX. Et quidem merito ille error reiectus fuit; nam (1.) in V. T. Deus populum Judaicum in Idololatriam, aliaque atrocia peccata prolapsum, ad Pœnitentiam invitat, eisque admissorum peccatorum veniam pollicetur Jer. 3, 1, 2, 7, 12, 13, 14, 22. item Ezech. 18, 21, 22, 23, 32. C. 33, 11, 14, 15. (2.) In N. T. fidelibus post fidem & Baptismum in peccatum lapsis, promissio gratiæ fit 1 Joh. 2, 1, 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem.* Ubi sermo est non de solis infirmitatis peccatis, sed de peccatis promiscue, qualiacunque etiam fuerint. (3.) Extant expressa Pœnitentiæ mandata, graviter lapsis Christianis in N. T. facta: quæ irrita & frustranea essent, si Resipiscentibus omnis Veniæ spes præcisa esset, ut Apoc. 2, 5. *Memor esto, unde excideris, & age Pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris* item v. 20, 21, 22. ubi ipsa Jezabel Scortatrix & Idolorum cultrix, ad Pœnitentiam invitatur. (4.) Exempla Davidis, Manassis, Petri, atque incestuosi illius apud

(31.)

apud Corinthios 1Cor. 5, 1 & seqq. idem probant. (5)
Sacramenta N. T. idem confirmant : Nam, ut per
Baptismum peccata, ante Evangelii Gratiam accep-
tam, abluuntur : ita in S. Cœna peccatorum post
Baptismum commissorum, remissio lapsis fidelibus
resipiscentibus obsignatur & confertur. Quemad-
modum vero illa peccata evitabilia, ac proinde gra-
visima fuerunt : Ita Pœnitentiam s. Resipiscentiam
etiam accuratam ac perfecte practicam esse oportet,
i. e. exire illam oportet in realem atque actu-
alem ab omnibus hujus generis peccatis cessationem.

Hæcque est illa Resipiscentia, quæ Fidei juncta,
producit Remissionem peccatorum & sa-
lutem æternam ; quæ est
Pœnitentiæ.

F I N I S.



Handwritten text, likely a list or index, written in a cursive script. The text is mirrored across the page, suggesting it was written on the reverse side and bled through. The ink is dark, and the paper shows signs of age and staining.

F. I. N. 1. 2.



1. Neuhaus de Fatis Adami.
2. Holzfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugoninus de Concursu Dei.
6. Cauterius de Providentia Dei.
7. Holzfus de Providentia.
8. Gurd de Lapsu primorum hominum.
9. ~~Gurd~~ de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Hareus de tribus scitu necessariis.
13. Eius Continuat.
14. Masceovius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Relig. Evangel.
16. Mieg de Gratiae div. progressu.
17. Jablonowski de indulgentiis.
18. Gultfinger de Natura Studii Theologici.
19. Holzfus de Paenitentia.
20. Eius de conversione.
21. ~~Idem~~ ~~de~~ ~~conversione~~


penitius de gratuita Iustificacoe.
Morheim Triga Observacum.
Morheim de paupertate mentis
Morg de operariis in vinea.
Morchmeier de Baptismo Ignis.
Mortensen de pbo Sabactari.
Morchmeier de negotio salutis circa infantes.
Meier ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Linus de aqua baptismi.
Meerberg de Encanis Judaeorum.
Morg de Lege Moysi per angelos data.
Mortensen de Historia Pauli Apostoli.
Meerberg de Barnaba, et.
Mortensen de Dro servitante Xto ex mortuis.
Meier de Hermannii Analysis Cap: 9. ad Rom.
Gaier ad Locum ad Rom. XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Mentzki de Stella ex Jacob.
Mortinger de Benedictione sacerdotali.
Morgst de Glaophemi mysterio.
Mortensen de Libamine in mensa sacra.
Mortinger de fectis indumentis.

49. Dis: de Lectione Legis solenni.


50. Elonerus ~~de ritu~~ ad Reg: 18.

51. March ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

52.











de Fatis Adami.

Homine
magis Dei in hoc.

de auxilio Dei et

de Concursu Dei.

de Providentia Dei

de Providentia

Lapsu proximorum hominum.

Angelis bonis et malis.

us de Certitudine fidei.

ecatalogo.

tribus ritu necessariis.

tinuatio.

is de curiosa Theologia.

de Utilitate Relig. Evangel.

Practica div. pgr. pgr.

de indulgentiis.

de Natura Studii Theologici.

de Poenitentia

conversione.